

*servum suum vel ancillam virga et mortui fuerint in manibus eius, criminis reus erit.*

CAPUT XI. Hanc iudicii et iustitiae aequitatem beatus Iob erga familiam suam, etiam antequam lex illa per Moysen daretur, divina inspiratione et naturali consideratione servabat, sicut ipse testatur 5  
dicens: *Si<sup>287</sup> contempsi subire iudicium cum servo meo et ancilla mea, cum disceptarent adversum me. Quid enim faciam, cum surrexerit ad iudicandum deus, et cum quaesierit, quid respondebo illi? Nunquid non in utero fecit me, qui et illum operatus est, ac formavit<sup>y</sup> in vulva unus?* Inde et sancti patres nostri pro istiusmodi reatu ita in sacris<sup>288</sup> 10  
canonibus statuerunt: *Si<sup>289</sup> quis servum proprium sine conscientia iudicis occiderit, excommunicatione biennii effusionem sanguinis expiabit.* Nam et liber Ecclesiasticus loquens de disciplina domini et servi hoc ipsum praescribit dicens: *Verumtamen<sup>290</sup> sine iudicio nihil facias grave.* Et praecipue apostolus ita admonet dicens: *Domini<sup>291</sup>, quod 15*  
*iustum est<sup>z</sup> et aequum, servis praestate, remittentes minas, scientes, quod et vos dominum habetis in caelo.* Si<sup>292</sup> igitur in domo uniuscuiusque christiani tanta aequitas et bonitas etiam erga servilem conditionem servanda est inter dominum et servum, quanto maior et uberior 20  
ac plenior custodienda est inter maritum et uxorem, inter virum et coniugem, inter caput et corpus? Quoniam sicut apostolus docet: *Vir<sup>293</sup> caput est mulieris, sicut Christus caput est ecclesiae, ipse salvator corporis<sup>a</sup>. Ita<sup>294</sup> et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam sicut et Christus ecclesiam.* 25  
Unde<sup>295</sup> rursus idem apostolus dicit: *Viri<sup>296</sup>, diligite uxores vestras,*  
y) folgt me Si.      z) fehlt Si.      a') folgt eius Si.

287) Iob 31,13–15.

288) sacris – expiabit (Z. 12) übernommen in De divortio Resp. 5 (MGH Conc. 4 Suppl. 1 S. 144 Z. 4f.).

289) Epao (517) c. 34 in der Fassung der „kleinen“ Sammlungen (CC 148A S. 33 Z. 220–222).

290) Ecclus. 33,30. Das Zitat wird auch in De divortio Resp. 21 angeführt (MGH Conc. 4 Suppl. 1 S. 226 Z. 14).

291) Col. 4,1 und Eph. 6,9.

292) Si – ecclesiam (Z. 25) übernommen in De divortio Resp. 5 (MGH Conc. 4 Suppl. 1 S. 144 Z. 8–14).

293) Eph. 5,23.

294) Eph. 5,28–29.

295) Unde – homicidium (S. 519 Z. 27) übernommen in De divortio Resp. 5 (MGH Conc. 4 Suppl. 1 S. 144 Z. 18–S. 145 Z. 7).

296) Eph. 5,25.